



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quídque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactiſimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindellicorum ; Dilingæ, 1695

Discursus III. De Fide.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45964](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45964)

DISCURSUS III.

De Fide.

I.  Christianorum quilibet in Sanctæ Ecclesiæ Paradiso plantatus est ut arbor, aut herba nobilissima, quæ tamen, non ut aliæ in hortis nostris solent, radices deorsum agat, caput sursum, sed quæ radices in Cælo habeat, ut inde perennem succum trahat, qui vitam tribuat & conservet. Si ita res se habet, quam dicemus esse radicem arboris tam beatæ? Non est quod in ea investiganda fatigetur: manifestat illam nobis Sapiens, aitque esse Fidem.

Sap. 13. *Scire Justitiam & Virtutem tuam, radix est Immortalitatis*: sic ille Deum alloquitur. Clara & veraci cognitione attingere ea quæ ad summam perfectionem, summam potentiam Supremi Legislatoris hujus Universi pertinent, his in terris principium vitæ immortalis est: *radix est Immortalitatis*. Quod cum ita sit, minimè mihi mirum videtur, quod tam sollicitè ac anxie nos hortetur Apostolus, ut exploremus, & quoad licet experientiâ ipsâ probemus verè credamus, an non? *Uosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.*

1. Cor. 13. 5. Nimum quantum interest Arboris Animæ nostræ, firmas egisse radices, quæ si quacunq; sorte sinistra in nobis languerent, omnis mox etiam vitæ spes langueret: *Iustus autem meus ex fide vivit.* Bonâ igitur vestrà veniâ, Apostoli secutus sententiam, Fidem

hodie nostram comparatione tam necessaria explorabo, & dum ostendam, qualis ipsa in nobis esse debeat, eadem operâ declarabo qualis ipsa sit in se. *Scire Justitiam & Virtutem tuam radix est Immortalitatis.*

II. Tres dotes sunt radices nobilis cujusque plantæ. Prima est firmitas, ad illam sustentandam; altera profunditas ad alendam; tertia fecunditas ad illam fructibus suavissimis locupletandam. Hæ ipsæ etiam propriissimæ Fidei dotes sunt: firmam esse oportet ad Intellectum primæ veritati constantissimè subjiciendum; profundam, ad eum divinorum mysteriorum cognitione alendum: fecundam, ad eam quàm plurimis rectè factis ditandum. Agamus initio de Dote prima.

II.

III. Firmam igitur oportet esse nostram Fidem: nec enim Fides ista est quæcunq; credulitas, aut assensus alteri loquenti præstitus, sed assensus omne dubium excludens, qui volens ac libens nec nutet ullo modo, nec vacillet. Inconjuræ hujus firmitatis causa est Veritas divina, quæ assensus fidei nostræ nititur. Observate proinde, omnem fidem alterius verbis præstitâ duobus his fundamentis inniti: primû est sibi persuadere, quod loquens, tanquam de re probè edoctus, non fallatur; alterum, quod pro sua bonitate fallere non velit, atque ita faciliùs credi-

ditur viro docto, quàm indocto; facilis viro bono, quàm viro nequam. Hinc apertum est, debere nos Deo fidem infinitam, si talem prestare nostræ esset facultatis, ut eo loquente digna sit, *Credulitas digna Deo*, ut cum S. Augusto loquamur. Cum enim Deus naturâ suâ Veritas sit, nihil quidquam cognoscere potest aliter quàm sit: & cum naturâ suâ Bonitas sit, non aliter manifestare quidquam potest, quàm illud cognoscat. Unde ipsi credendo, certissimi sumus, quod non fallamur. Causa igitur, quæ Christianos inducere debet, ad fidem suam certissimam habendam, non hæc esse debet, quod in ejus gremio nati sint; non quod isto lacte in dâ teneris sint aliti; non quod alii præant credendi exemplo; non quod ita à Sacris Oratoribus edocti, non quod rationibus inducti sint. Una ac sola esse debet hæc, quod hujus Religionis Mysteria Deus revelaverit Ecclesiæ, per Ecclesiam autem etiam nobis. Audite hanc in rem eventum admiratione dignum. Asclepiades præfectus atrocissimis tormentis divexabat S. Martyrem Romanum; hic cum adverteret Judicem in-
Vinc.
Bellouac.
spec Hist.
c. 17.
 excludenda ab anima veritatis cognitione obstinatum, decrevit eum prodigio manifesto aut flectere, aut si contumaciter obliſtaretur, omnem illi adimere se excusandi prætextum. Cruciatuum proinde suorum immemor, & ad Asclepiadem conversus, si, aiebat, dictis meis fidem non adhibes, Infandum hunc omnis doli expertem interroga; & ex ejus ore intelliges veritatem, quam ego annuntio: & cum dicto filiolum tenerum admodum indicat, quem necdum

linguam articulatas in voces solvere doctum Christianorum Matrum aliqua brachiis gestabat. Cum mox infans exclamavit, & contentâ distinctaque voce, Christus, dixit, verus Deus est, sic ut præfectus rei novitate attonitus, nec tamen cedere vel sic doctus, quis, torvo vultu responderit, tibi id dixit? respondit puerulus; *Mibi Mater, & Matri Deus*. Responsum isto aptius nemo Christianorum reddere posset, si quando ex eo quæretetur, undenam Religionis nostræ Mysteria agnovit? Quis revelavit tibi, Christum Dei esse Filium, eundem humani generis redimendi causâ mortuum, à morte ad vitam triumphandum rediisse, venturum, ut omnium mortalium genus, unum in locum collectum, judicet? Quis revelavit? respondere oporteret: *Mibi mater dixit. Ecclesia inquam; Ecclesiæ autem Deus*. En igitur totam hujus rei seriem. Christus Servator revelavit Apostolis Fidei nostræ Mysteria, Apostoli docuerunt Ecclesiam, Ecclesia nos omnes edocet: atque ita tandem à testibus de auditu, venit, ut Leges jubent, ad testes de visu, dum nos illis assentimur, quæ in intimo Patris sui sinu Dei Filius contueretur: *Unigenitus Joan. 1. Filius, qui est in sinu Patris, ipse e-18. narravit.*

IV. Juvat proin considerare, quàm miserè fallantur cæci illi, qui fidem nostram tam parvi habent, ut de ea non aliter disputent, quàm de vi aperta animo nostro illatâ; & quia illa obscura est, vellent illi superaddere clarâ notitiâ & scientiam humanam. Prò temeritatem!

tem! Somnare, se multis præditum oculis, cæcitatæ prognosticon esse censetur. Sic & isti, dum plus longè quàm alii videre sibi videntur, omni se videndi facultate privant. Fides nostra lumen est in nos derivatum à clara nōtitia & certitudine ipsius Dei: & scilicet illa stolidorum sit, ac seducto-

3. *dist. 23. rum! Fides exemplar habet in Deo,*

9. 2. *art. quoad cognitionem & certitudinem,* quæ

4. est Angelici doctrina. Hinc qui sinceri Christiani sunt, non credunt tantum, sed cum magna tranquillitate credunt, eum satis nōrint, falli se non posse.

Rom. 15. *Repleti omni gaudio, & pace in credendo;*

13. infantuli instar, qui matris è collo pendulus fugit lac, quod non videt, & fugit sine omni metu ac perturbatione, certus se venenum nunquam bibiturum: atque hoc ex capite ne quidem videre desiderant, quod credant, tam immobiles adhærent vero, quod eos autare non patitur. Ut ruborem incuteret Hæreticis Albigenisibus Christus, spectandum se in Sacra Hostia præbuit vultu pulcherrimi pueruli, & quidem tempore bene longo, cuiusque collubium esset, usurpare oculis prodigium posset. Invitatus proinde ad spectaculum tam novum S. Ludovicus Galliarum Rex, eat, reposuit, ad videndum in Hostia Christum, qui de Eius in illa præsentia dubitat. Ad me quod pertinet, certius id mihi est Ecclesiæ testimonio, quàm futurum esset, si hisce meis oculis intuerer. Demus igitur, obscuram esse Fidem: hoc autem quid refert,

si hæc ipsa obscuritas plus habet certitudinis, quàm ipsa apertissima Scientiarum evidentia? *Nox vobis Mich. 3. pro Visione erit, & tenebra pro devinatione:* nobis quoque ad solatium in sensu haud paulò optabiliore ab ipso Deo dictum existimare possumus.

V, Scientiæ aliæ ac Disciplinæ, ut S. Thomas observavit, & naturâ suâ incertæ sunt, & longi temporis beneficio acquirendæ, eâque etiâ causâ rarò animum pleno afficiunt. Naturâ incertæ sunt; quia cum virginem trahant à sensibus, quàm facile in errorem plus quàm simplicem præcipitant: Ipse oculus, qui minùs quàm ullum aliud sensuum organum in testimonio dicendo fallit, sexcenties tamen & ipse decipit. Affirmat remum aquæ immersum, curvum esse, qui tamen rectus est; affirmat colores Iridis veros esse ac stabiles, nec tamen sunt nisi colorum imitamenta; affirmat solem paulò plus quàm palmari magnitudine esse, cum hic molis suæ amplitudine totum globum terraqueum centies sexagies sexies comprehendat. Sed neque plus Rationi nostræ tribuere possumus, quod est alterum à natura datum nobis lumen ad veri investigationem. Nam hæc quoque ipsa quoties fallitur, maxime postquam peccato propè exculata est? Id quod plus satis demonstrat illa sententiarum discrepantia, quæ Doctos ad perpetuas lites condemnat; sic ut hoc una de Veri-

Veritate (summi omnino momenti ad rectam & totius humanae Reipublicae, & privati cujusque gubernationem) quis nimirum sit Finis hominis ultimus? Sanctus Augustinus ducentas octoginta inter se pugnantibus Antiquorum Philosophorum opiniones enumeret. Quis igitur ambigat, an Scientia nostra naturam suam incerta sit? Sed non minore deinceps tempore ad illam acquirendam opus est. Ars longa, vita brevis. Sufficiat dixisse, ex antiquorum Sapientum numero fuisse aliquem, qui quadraginta ipsos annos in id impenderet, ut Apum naturam, ac indolem in operibus suis conficiendis exploraret (quae vel rustico cuilibet sine interpellantibus intueri concessum est) quin tamen, quod tam studiose quaerebat, tandem assequeretur. Cum interim Fides momento prope unico Intellectum nostrum locupletet notitia se sexcentorum arcanorum, sublimium planè ac pulcherimorum, ut eas ne à longè quidem cuncti Philosophi Antiqui, Fidei lumine destituti, prospicerent: *Quas nemo Principum huius seculi cognovit.* S.

1. *Cor. 2. 8.* Hieronymus in illa Christi verba: *Qui dixerit fratri suo, Fatuus, reus erit gehennae ignis* asserit hanc utique Christianos inter palmare esse injuriam: quomodo enim Fatuus ulla ratione dici potest, qui Fidei suae beneficio erudire cum stupore posset omnes Aristotelis, Xenophontis, Socratis, Platonis Discipulos; *Qui Christum Dei noverit Sapientiam, quae ratione stultitia elogio denotari potest?*

VI. Gravis deinde calumnia est, quae Fides nostra impetitur, dum cum Ratione pugnare dicitur. Non pugnat cum illa, sed illi imperat. Et sicut Mathematicarum Disciplinarum studiosus, permittit ut circini pes unus in omnem agatur partem, dummodo alter centro immotus adhærescat, ita & Fides non prohibet, quo minus Ratio pro arbitrio de Fidei arcanis disputet, dummodo parte altera à Dei loquentis auctoritate se divelli non patiatur.

VII. Sed hic rei cardo vertitur, dicit non nemo, cujus animus peccatis plurimis implicitus intricatulusque, haud aliter ac stomachus noxiis humoribus refertus, cerebrum vertigine rotat. Si mihi constaret certò, Religionem hanc, ejusque dogmata à Deo manifestata fuisse, infans essem, si porro ambigerem; cum Deum mentiri non posse non minus certum sit, quam Deum esse. Sed quis me securum reddet, Deum esse locutum, nec ulterius cujusquam commentum esse posse Religionem, in quam nascendi sorte velut incidi? Displicet hæc mihi argutatio ob causam, quæ ad sic arguendum impellere potuit: placet tamen illi respondere, ut hac ratione plus adhuc lucis affundatur iis, quæ hucusque à me in medium allata sunt. Illud ante omnia ponendum, nos dum Fideli alicui veritati assentimur, geminum producere actum. Horum unus est actus ipse credendi, qui ad Intellectum præcipue pertinet: alter est actus, quo credere volumus, qui pertinet ad voluntatem. Jam quod

ad actum ipsum credendi, & assensum Fidei dogmati præstitum spectat, non alio ad eum movemur & impellimur, quàm authoritate primæ veritatis loquentis, ut dicebamus: Voluntas autem illa, quæ credere volumus, pro causis moventibus habet tot illa ac tam multiplicia testimonia, quibus indubitatum redditur, nos ad credendum esse obligatos. Sunt autem hæc Testimonia sanctitas illa ac puritas Religionis Christiana, quæ omne planè vitiorum genus fugere, virtutes autem omnino omnes sectari docemur. Perpetuitas ipsa Religionis, quam tot persecutionum, tot tempestarum, stragium, schismatum turbines non tantum non extinxerunt, sed auxerunt etiam & confirmarunt flammæ instar, quæ quo follihus agitatur vehementius, tanto exardescit luculentius. Modus ac ratio, quæ hæc eadem Religio per orbem universum propagata est, per homines nimirum rudes & illiteratos, non facundiâ, non viribus, non opibus validos, & verbo, per inopes Piscatores. Coniuncta tam excellenti morum probitati lectissima Doctrina in viris sanctissimis, qui post fidei nostræ examina semper illam quovis frumento, jam iterum iterumque cribrato, puriorem sinceriorumque invenerunt. Varietia tot ac tanta, quæ in ipso Religionis hujus auctore Christo impleta sunt. Miracula, quæ nunquam defuerunt in Ecclesia, nec deerunt, quibusque velut tot sigillis divina dextera obsignavit Religionis nostræ arcana, cum nullum unquam mendacium sic possit affirmare. Vis

illa ac potestas, quam Religionem hunc sectantes obtinent contra malos Dæmones, quos sibi obtemperare, & se abjicere, & denique oblectis corporibus migrare pro imperio cogunt. Sanguis tot Myriadum Martyrum, qui tum demum in apice felicitatis stare sibi visi sunt, cum vitam inter mille cruciatus pro Religionis hujus veritate affirmanda ponere illis licuit. Et quæ sunt alia illustrissima signa ac testimonia, quibus Religio Christiana abundat; sectæ autem aliæ omnes vel iis penitus destituuntur, vel longè inferiore in gradu effulgent. His autem Religio nostra tam credibilis redditur, ut Regio Pfaltæ etiam mensuram non tenuisse viderentur: *Testimonia, tua credibilia facta sunt nimis.* Si Intellectus, nullo pravæ inclinationum, aut perturbationum fumo offuscatus, hæc rationum momenta, hic velut ab aliud agente enumerata, serio attentè que perpenderit, fieri non poterit; ut non submittat caput, & lubens volensque in obsequium Fidei, tam suavi violentiæ, qualis ista est, manus det: *2. Cor. Capioans intellectum in obsequium fidei. 10, 5.* Insanire dicendus est, qui secus fecerit. *Magna insania est Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolica resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, Dæmones consentunt.* Sic pronuntiavit Picus Mirandulanus illud ingenii prodigium. Ea tamen est in nonnullis Cordis depravati durtities, ut veritatem tam manifestam cognoscere eos non sinat. Cæra signum impressum facillè recipit; in lapide ope-

Ps. 92. 5.

2. Cor. Capioans intellectum in obsequium fidei. 10, 5.

Sap. 3. 14.

opera luditur: non utique annuli malè sculpti vitio, sed lapidis, ad figuram recipiendam contumaciâ suâ inepti.

VIII. Ut ad propositum revertamur, quid vobis videtur, Dilectissimi, de Fide quæ primò statim intuentibus apparet rationi summè consentaneâ; in ultimo tandem recessu uno & solo Deo tandem nititur ac fundatur? Tam firma, tam fundata est Fides nostra, ut hac parte nullius incrementi sit capax: claritate quidem ac splendore sic crescere potest, ut tandem ex dubia crepusculi luce ad claritatis meridiem pertingat; id quod accidet, cum in Cælo Deum in se videbimus: plus tamen obtinere certitudinis nunquam potest. Alterius omnino generis est aliarum Sectarum fides; quæ se ultra fidem humanam non attollit, quæ quantumcunque sit pervicax, limites tamen opinionis vacillantis nunquam excedit, atque idcirco etiam nunquam dubitationem omnem excludit. E diverso nostra Fides lumen est, quod omnes naturæ vires superat, divini sanguinis pretio nobis impetratum, & animæ nostræ, sorte ter felici collatum in Sacro Lavacro, sicut futurum prævidit Sapiens, cum dixit. *Dabitur illi fidei donum electum, & fors in templo Dei acceptissima.* Superat idcirco, ut dicebam, fides nostra certitudine omnium quibuscunque principiis innoxiorum actuum evidentissimorum certitudinem, idque triplici ex capite: primò quòd de rebus sit, quas existere magis sit necessarium, deinde quòd deducatur ex principiis minùs subje-

ctis falsitati, & denique quia modus, quo ad illam progredimur, minùs est obnoxius errori, cum exploratoribus tam infidis non utatur.

II.

IX. Ut autem radix ista sit *radix Immortalitatis*, satis non est illam esse firmam in animo; oportet insuper profundam esse: & verè ipsa profunditas plurimum etiam ad firmitatem confert. Quid his verbis indico? istud omnino; fidem nostram non debere harere in superficie, non debere esse planè caligine plenam, expertem ordinis ac distinctionis assentiendo Religionis nostræ arcanis generatim tantum, quin in id incumbamus, ut singula pernoscamus intimius. *Ac-Prov. 14, ceptus est Regi minister intelligens: iracundiam ejus inutilis sustinebit.* Non amat ignorantes ac rudes ministros Deus; ac propterea qui suâ ignaviâ discere neglexit ea, quibus aptius ei serviret, suo tempore certò luet. Perpendat proin quisque, duos inter scopulos navigandum. Parte una non decet nos esse a quo curiosiores cum Deo, sic ut quidquid ille dixerit, ejus confestim cum Phariseis, omnem modestiam & observantiam erga divinum Magistrum doctos, rationem superbè poscimus; *Quare? Quomodo?* Hic enim agendi modus in urbanitatis leges peccare censetur, etiam dum nostris cum Principibus loquimur: credo, quod inde, quia hoc est illos ad respondendum quodammodo compellere, & sic se ipsis velut supe-

*I. non o-*superiorem monstrare. *Non omnium*
Legum hoc effatum est, quæ statuerunt
ff. de se. Patres nostri, potest reddi ratio. Si
nat. con- Sancto Augustino assentimur: *Non est*
sult. fides superborum, sed humilium. Si enim
Serm. 96. hæc est pœna primæ perfidiæ, quæ ho-
de verb. mo in Paradyso terrestri non credidit

Dei.

verbis Dei, & tamen credidit verbis
 nequissimi serpentis, nemo non videt
 eam subeundam esse cum demissione,
 & animi subiectione, ne dum abolere
 quarimus noxam admittam, eandem
 potius fastu & elatione augeamus.
 Parte tamen altera fides Christiana
 non est fides rudium & imperitorum:
 tenebras illa amat, sed non alias, quàm
 quæ ad auctius videndum conducant;
 fermè sicut oculi nostri tunc longius
 prospiciunt, cum intima pellicula nigricat.
 Quid agemus cum certis quibusdam
 Christianorum numero, qui
 ut fidelibus accenseri possint, præter
 Baptismum habent nihil? Christiani
 nativitatis & educationis sorte, sed non
 propria optione; qui & ejus Mysteria
 diligenter didicerint, & titulos ac doctes,
 quibus illa longè supra sectarum
 aliarum vulgus eminent, pernoverint.
 Vix dixerit quis, credentibus, an non
 credentibus accensendi sint: videntur
 potius nec hanc, nec illam ad classium
 pertinere, iis persimiles, qui hencplexiã
 tacti nec vivi ex toto, nec ex toto
 mortui dici possunt.

S. Th. 2. X. Statuendum igitur ante omnia,
2. q. 2. a. quod et si non omnes Christiani nõsle
6. teneantur cuncta Religionis nostræ
S. Th. 2. Dogmata ac Mysteria, cuncti tamen
2. q. 2. a. teneantur obligatione, sciendi aliqua,
7. & 8. illaque distinctè & explicitè credendi,

qualia sunt, quæ Apostolorum sym-
 bolo continentur; quæ inter, duo
 sunt tam necessariò explicitè credenda,
 ut, majoris partis Theologorum sen-
 tentiã, fides eorum sit medium, quo si-
 ne de salute aultorum certò sit actum.
 Atque hæc sunt Mysterium sanctissi-
 mæ Triados, trium nimirum in una
 natura Divina impartibili Personarum:
 & Mysterium Verbi Incarnati,
 secundæ inquam ex his tribus perso-
 nis, Filii Dei, in mortali nostra carne
 assumpra mortem acerbissimam nos-
 træ saluti restaurandæ passi, Quan-
 tus jam eorum est Christianorum nu-
 merus, qui misero planè ac deploran-
 do in statu vivunt, cum dicere & ipsi
 pollint: *sed neque si Spiritus sanctus est, Act. 19.*
audivimus? Norunt, unum esse
 Deum: nesciunt tamen, naturam Di-
 vinam unam eandemque tribus in
 Personis esse, sic ut cum tribus idem
 esse nihil penitus simplicissima offi-
 ciat unitati, Norunt mortuum pro
 ipsis esse Deum, nec tamen intelli-
 gunt, quanam illa Persona sit, quæ
 mortali se carne vestierit, ut mori pos-
 set. *Hæc est autem vita aterna, ut co- Joan. 17.*
gnoseant te solum Deum verum & quem
missi Jesum Christum. Si autem ita
 se res habet, fateri oportebit, Jacere
 in regione umbræ mortis eos e Chri-
 stianorum grege qui Christi asseclæ
 quum sint, plus tamen de illo non sci-
 unt, quam tantillum illud, quod satis
 est, ut ludibrio illum vulgo exponant,
 cum aut peierant, aut bile efferves-
 cunt. In hæc tam densa morte, quo-
 modo miteri servien. Redemptori suo?
 quanam illi deferent obsequia? quo-
 modo

modo opem ejus implorabunt, gratias pro acceptis referent? quomodo affectu intimo diligent, si de illo tam exigua notitiam habent? Canis herum in conferta multitudine agnoscit, quibus potest modis blanditur, & suum ex ejus presentia sensum ac lætitiā prodit; Christianus autem, ne hoc quidem Christi JESU Servatoris tui notitiā præditus est! *Cognovit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Quid tandem emolumentum est in scientia rerum & negotiorum hujus Mundi, si hæc conjuncta sit cum ignorantia, quã tandem viã ad veritatem & vitam perveniri possit? Satis est infelicibus istis, quod memoriã teneant, etsi non nisi mutilas & deformatas, aliquas precandi formulas, & inter has etiam Apostolorum Symbolum: sed hoc quid juvat? ejusmodi scientia, ignorantia foror est. *Scire leges ff. de leges, non est earum verba tenere, sed vim Reg. Jur. ac potestatem.* Quid utilitatis habet, Symbolum verbatim reddere, Mystera eo contenta non intelligere? Non est hoc aliud, quã in summa annonã difficultate horreum habere frumento plenum, sed non habere clavem, quã aditus ad illud aperiri possit. Psittacus aliquis Romæ Litanevticas Virginis Matris preces didicerat, & non sine audientium stupore identidem recitabat. Fateri oportet, non paucos è Christiana plebe volucris huic notitiã cedere, qui tam multa memoriter reddere non possent; ad vocum autem, quas proferunt, sensum quod attinet, nihil inter illos

P. R. Segneri Christi. Instr. Tom. I.

& Psittacum interest. Judicet jam qui volet, an non promptum ac facile sit malo Dæmoni in turbido hoc ignorantia stagno pro arbitrio piscari! *Non est scientia Dei in terra: ait Os. 5. I.* Propheta: ex hoc autem quid consequitur? *Maleficium, & mendacium; homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Invaluerunt in Mundo hæc tam horrenda flagitia, quia nulla Dei in eo notitia est, & nulla ejus acquirendæ industria, perinde ac si vel hoc ipsum nonnullis molestum sit, cerdere, quod aliquis Deus sit.

XI. Hinc discetis, quantopere à vobis officii ratio postulet, ut liberos vestros, ut famulos famulasque mittatis ad Templum, ubi catechesi instituantur; quin ut & vos accedatis, ad ipsa aded Religionis nostræ prima elementa pernoscenda; cum non desint ex adultis, quamlibet prolixè barbatis, quibus adhuc lacte sit opus. Quot rerum ad salutem necessariorum inscientiã vos ipsi laboratis, etsi non omnino nulla Mysteriorum, quæ dixi, scientiã essetis imbuti? Nescitis non raro, ad verum & utilem de admissis dolorem ac pœnitentiam non sufficere voluntatis vestræ facultates, sed Gratiæ etiam efficacis auxilio opus esse, quæ neque omnibus Peccatoribus, neque quovis tempore, maxime qui noxas noxis cumulando eã se indignos reddidere, conferatur. Hinc est, quod, etsi quotidie peccando à calo receditis longius, tam nihilominus de ejus felicitate obtinenda vivatis securi, quã securi

E illi

illi vivunt, qui vincendo bravium re ipsa jam sunt consecuti. Nescitis, peccatum esse malum malorum maximum & à Deo eo odio haberi, quod neque mensuram habeat, neque unquam placari possit; unde ineptè vobis persuadetis, parùm interesse, quomodo quis vivat, dummodo tandem se reum pro Sacro Tribunali peragat; nec interesse, semel quis, an centies, aut iterum iterumque priores in fordes recidat. Nescitis, ad veniam admissorum impetrandam Sacrae Confessionis ope, necessarium esse dolorem, qui peccatum præ omni alio malo excretur, sic ut re ipsa animum ab eo avellat, & inducat ad verum illud unicùmque medium usurpandum, fugam inquam occasionum proximarum, quæ toties vos in casum impulerunt. Ex eo quòd hæc, hisque plura similia ignorentur, irreparabilia in animam damna redundant, & Deus ipse asserit; *Ubi non est scientia, non est bonum.* Anima rerum divinarum rudis, instar accipitris, cui venator oculos velarit, non obtemperat sibi, ad prædas non se movet, nec ullum discrimè vitat; & si infelices sunt tot inanum Deorum cultores, quia non vident, arguere hinc potestis, quanto fortassis miserabiliores sint Christiani illi, qui cum media in luce habitent, videre tamen pensi non habeant. Dicunt, negotiorum sibi abunde esse, sibi familiæ, mercium, pecorum, & commerciorum intricatissimorum curam incumbere. Sed quid? anime & animam non habent? & tamen hujus rationem habent nullam. Duobus modis, Theophrasto teste, Planta aliqua aliis propinquis

Prov. 19.
2.

nocet; aut umbræ densitate, aut omni circum humore ad se attracto. Nec alia Fidei conditio est: hujus Mundi negotia, diverticula, oblectamenta, radici huic obsunt; primò umbrâ; implicent enim mentem & offuscant propensionibus malè ordinatis: deinde omnem succum, omne alimentum ad se trahendo, sic ut tempus vendendi, emendi, permutandi, imò tempus in omnibus nocturnis conventiculis ridendi, tripudiandi, garrindi, amoribus indulgendi, nullo non vitiorum genere se conspurcandi, momenta autem nulla ad salutis viam perdendam supersint, nulla ad Deum primum Principium & finem ultimum cognoscendum.

III.

XII. Quis jam miretur, Fidem ejusmodi, quæ tam non altè in animæ solum descendat, sed in superficie duntaxat hæreat, fructus nullos ferre? Sunt ex arborum genere, quæ cacumen sublime ad nubes porrigant, etsi radices in terram parùm profundè agant; & tales sunt Cypressi: sed hæc omnes infœcundæ sunt. Tertia proinde Fidei suis absolute numeris Dos est, ut fruges multas bonorum operum afferat. Est enim Fides, cælestis quædam lux, quæ animum ad cognoscendum illustrat, & voluntatem ad agendum roborat: Virtus est, quæ non contemplatione sola est contenta, sed ad agendum se porrigit: *Fides, qua per caritatem operatur*; & verò hunc in finem confert nobis Deus donum tam singulare; *Donum fidei electum*, ut anima apta reddatur ad gerenda quam plu-

plurima recte acta : eâ etiam causâ Fides Sponsalibus comparatur, quibus Deus & anima mutuo jungantur.

Os. 2. 10. Sponsabo te mihi in fide: ut intelligamus, horum etiam Sponsalium fructum præcipuum esse fecunditatem. Atque hæc ipsa fecunditas incredibile dictu est, quantum Fidem ipsam augeat, ad ipsum usque Dei solium illam deducendo, quin unquam suis in eo quaerendo votis frueretur: Deum exquisivi manibus meis, & non sum deceptus. At è diverso, nisi Fides operibus ex Caritate profectis nutriatur, vitalis non est. Fides sine operibus mortua est: & talis cum est, Virtutis nomine digna non est, perinde ac cadaveri perperam hominis nomen tribuitur. Quia autem res hæc momenti sanè quàm magni est, ut intelligamus necessitatem, quâ & Dei gratiam tueri, & ejus virtute opera digna vitâ æternâ producere debemus, placet clariùs proponere de ea quid sentiam.

XIII. Duplex mortis genus in cadavere considerare possumus: unum est, quo corpus ab Anima, vitâ suâ, separatur; alterum, quo ipsam putrescit, sic ut tandem in pugillum pulveris ac putredinis redigatur. Eadem tors est Fidei. Moritur illa in primis per separationem à Caritate, dum peccato anima assentitur. Moritur deinde, cum sensim Fides ipsa corrumpitur, sic ut denique in nihilum redigatur. Negari non potest; magnam in eo Dei miserationem inesse, quòd Peccatores amissâ gratiâ non simul etiam Fidei jacturam faciant,

Placuit Deo, eâ erga nos, proportionè quâdam, uti benignitate, quâ erga artifices, aut alieno ære obstrictos, aut etiam decoctores, Leges utuntur. Vetant hæc, miseris illis auferri artis suæ instrumenta, ut horum ministerio & vitam tueri, & fortassis aliquando etiam contracta nomina delere possint. Sic & Deus, ut Peccatores spei aliquid retineant, è miserrima sua sorte aliquando emergendi, & exolvendi nomina cum Justitiâ divinâ contracta, relinquit eorum in manibus omnium virtutum instrumentum Fidem, quæ etiam earundem, quatenus quidem in cognoscendo versantur, forma est. Istud tamen Fidei mortuæ cadaver, quod in anima peccatrice velut tumulo sepultum relinquitur, paulatim ipsam etiam, quam cum vivo corpore habebat, similitudinem deperdit; & illud virtutum recuperandarum instrumentum, diu otiosum, tandem ita rubigine exeditur, ut sensim penitus inutile reddatur. Nec id mirum; cum ea sit Otii ac sitis natura, omnia tandem corrumpere. Aqua diu immota, verminat: ædes diu non habitatæ sensim in æcerum informem subsidunt: Equus, diu è stabuli sui pædore non eductus, vigorem omnem perdit. Hac igitur ratione Fides, etsi vitâ destituta non esset, magnum tamen subiret exitii sui discrimen, eo solum quod otio torperet, & nulla virtutum opera efficeret. Quanto igitur magis, vel vestro judicio, parum ab extrema pernitie, mortua aberit?

Cum in animo Peccatoris subsistere cogitur, conditione est sibi nimium quantum dura ac violenta: hæret ibi tanquam compedibus vincita, ut Apo-

Rom. 1. 18. stolus verbis illis innuit: *Qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* Atque ira facillimum est istud quoque violentum minimè esse diuturnum.

XIV. Hæc autem illi maximè sibi dicta existiment, qui sædas libidines sectantur, & passim corpori suo ac carni permittunt, quidquid illam, quantumvis turbiter, delectare potest: de iis enim accipiendæ potissimum sunt terribiles illæ Dei voces:

1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Id quod S. Hieronymum

induxit, ut citra dubitationem assereret: *Difficile est Hæreticum reperire, qui diligit Castitatem.* Et verò nil aliud magis spectat Orcus lasciviâ,

Pf. 136. 7. quam ut tandem pertingat ad ipsam Fidem extirpandam, *Exinanite, exinanite*

usque ad fundamentum in ea. Hæc sunt Luciferi imperia, quæ illi accipiunt ejus ministri, quorum operâ ad evertenda per cuniculos munimenta utitur ac proinde sicut Archistrategus, ad urbem aliquam expugnandam, principio muros solo æquat, mox in ruinis pedem figit, ac tandem actis cuniculis propugnacula funditus subruit; ita Dæmon initio tum aliis, tum maximè sædarum libidinum peccatis, velut tormentorum ictibus, ruinas humanis in animis edit: his enim maximè franguntur: deinde longâ assuetudine stabilem in iis locum occupat; tandemque, nisi validis eru-

ptionibus pedem referre cogatur, ipsa ad eodè Fidei fundamenta fossorum illorum suorum operâ subruit. *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Quodsi cuniculi ignem non conceperint, & Fides stæte pergat, non stabit tamen nisi infirma, multumque diminuta: juxta illud: *Di-*

minuta sunt veritates à filiis hominum Creditur Deus, creditur Deo, sed non creditur in Deum, quam in rem ita S. Laurentius Justinianus loquitur. *Credere Deum, est credere eum esse: Credere Deo, est credere eum vera dicere: at credere in Deum, est credendo amare: credendo in eum ire.*

XV. Quid autem vobis videtur, Auditores Dilectissimi, an talis Fidei ope speratis salutem consequi æternam? Non aliud hoc foret, quam stultè credere, se remotâ aliqua è provincia Romam equo gypleo aut ligneo perventurum. Non permittunt Leges, ut ille Medicus immunitate gaudeat, qui aliis curandis operam non dat, sed domesticos intra parietes Medicæ artis peritiam discit, & semper in umbra, nunquam in arenam progreditur, morborum phalngas oppugnaturus. Similis ignominia eos manebit Christianos, qui extremo mundi judicandi die sperabunt propitium habere Judicem, propterea quod vix quidquam præter pigrum Fidei Christiani nomen palam professi sint. *N scio vos, audient ex Deo; discite à me omnes operarii Iniquitatis.* Facessite procul, vos qui ad pra-

Luc. 13. qui ad prava vestra desideria explenda cratis centimani, ad illa autem edomanda ne unimani quidem. Si quem nostrum ferale hoc tonitru audire contingeret, quo quæso is animo esset futurus? quæ calamitas, nostræ illi comparari posset, descendere nos in inferni barathrum nostris accinctos

Ezech. 32. armis? *Descenderunt ad Infernum cum armis suis:* cum illo inquam hominis Christiani character, cum illo Fidei scuto, quo nullum non hostem vincere, & de eo triumphare potuissimus?

Jac. 5. 4. *Hæc est victoria, qua vincit Mundum.* *Fides nostra.* Nihil ita victorum triumphum exornat, quam armæ, ab hoste in acie abjecta. Sic etiam Fides, telum tam validum ad stygium hostem profligandum, pro trophæo Demonibus serviet, gloriose jaçantibus cladem Peccatoribus, in immane illud barathrum à se pertractis, illatum. Prò quàm petulanter & arroganter insultabunt characteri, quem à sacro Lavacro impressum solumque superstitem nulla æternitas delebit? Quo primum furore, mox etiam fastu, illum tanquam rem unicam sacram, in locum illum omnis calamitatis delatam, conculcabunt; læti, quòd fœdissimis suis quodammodo pedibus proterere valeant, qui ut Dei filius, & æterni Regni hæres, ipsa etiam sidera pedibus substrata cernere potuisset.

XVI. Auditores Amantissimi, ne conditione unquam reddamur tam infelici ac deploranda, sequamur consulentem Apostolum, qui ita nos alloquitur: *Vosmetipsum tentate, si estis in*

2. Cor. 13. 5. Fide, ipsi vos probate. Non satis est Fi-

dem nos habere tanquam inanem & sterilem credulitatem: necesse est nos haberi à Fide, sic ut quidquid uspiam operamur, per ejus veluti manus transeat; cuncta ab ipsâ suos ad fines dirigantur, ad normam axiomatum ab ea præscriptorum exigantur.

XVII. *Vosmetipsum tentate, si estis in* *2. Cor. 13. 5. Fide.* Quæ futura esset vestra calamitas, si eos inter nati educatique, quibus veræ Fidei lumen illuxit, infeliciores essetis illismet, qui in Idolomania tenebris hæserunt; sic ut dum ipsi nihil vident, quia densam circa se noctem habent, vos cæcitate hoc minus miserandâ, quo magis sponte adamatâ, nihil cerneretis, quia oculos aperire piget? Quid futurum esset, si Fides vestra non haberet firmitatis factis, & si scientes volentesque admitteretis illas dubitationes, quæ nonnunquam animum vestrum sollicitant, sic ut sædarum vestrarum libidinum cloaca ac putrida palus non tantum cælestis hujus solis radios vaporibus suis eclipsaret, sed etiam penitus illum extingueret? & tamen eò nonnunquam pertingit etiam inter Christianos, etiam inter Catholicos, quibus plus de hac gloriosa nomenclatione non relinquit, quàm ne ad Fidei Quæstorum Tribunal raptari debeant, Ceterum *Dubius in Fide, est Hæreticus*, ut omnes norunt: *Quisquis vel unum aliquod Fidei dogma dubium & incertum existimat, inter rectè credentes jam locum non habet, quantumvis eorum è numero haberi velit, & talem se externis ritibus profiteatur,*

XVIII. *Vosmetipfos tentate, si estis in Fide.* Dilucite diligenter, an quæ credunt alii, vos fide humanâ tantum teneatis, an verò Divinâ, illis assentiendo, quia Deus illa revelavit Ecclesiæ, Ecclesia autem vobis proposuit, *Habete Fidem Dei.* Id vobis incumbit, ut Fidem habeatis, quæ sit à Deo, ut principio & causa efficiente; & quæ in Deum ut finem tendat: hanc si habere vos deprehenderitis, ulterius discutite, an sit profunda, sic ut nolitis contenti esse notitiâ quadum planè superficiariâ & credulitate rudi ac imperfectâ, absque eo quoddã explicite teneatis ullum eorum Dogmatum, ad quæ sigillatim credenda nemo Christianus non obligatur; quamvis eadem cognitione perfecta, & comprehensiva credere & capere non teneamur.

Marc. 11.
22.

1. Thess.
2. 13.

Vosmetipfos probate, si estis in Fide. Scrutimini tandem, an Fides vestra sit fecunda, quæ Caritatis virtute producat fructus vitæ æternæ. *Verbum Dei operatur in vobis, qui creditis.* An non pudet nos, Terram aspicere, quæ ob exigui luminis beneficium, quod extimâ ejus superficiem irradiat, nunquam non aliquid agit, sed tot identidem plantas, tot flores, tot poma, tot metalla gignit; cum interim Anima nostra tam multiplici luce, quàm Fides undique diffundit, illustrata, jaceat otiosa? Earum sit virium fides humana, ut inducere homines possit ad tam multa gerenda negotia, ad ea aliorum arbitrio administranda: & Divina Fides, tanquam minorum vi-

rium, agat nihil, & omni difficultati cedat? Ante omnia tamen, nunquam animis vestris hic error inhæreat; etsi vita Christianum nihil spiraret, solo tamen nomine vos Redemptoris vestri gratiam promerituros. Quin imò non alia hujus erit nominis utilitas, quàm ut vos illi magis execrabiles ac detestabiles reddat. Qui fœtet instar hirci, si unguenta odorifera corpori illinat, fœtebit turpius. Nec aliter te res nostra habet. Suave illud Balsamum Sacrificiorum, Sacramentorum, ipsa tam odorifera Baptismi undæ, ad nihil servient, Christianis his Nominalibus, quàm ut odore magis ingrato offendant Judicem, qui severius in illos, quàm in ipsos Ethnicos animadvertet. *Dico vobis: Tyro & Sidoni remissus erit in die Judicii, quàm vobis.* Non aliter ac Leges Civiles pœnâ ordinariâ mulctant adultos, impuberes autem mitiore, cum hos nondum eâ, quâ illos, Legum violatarum notitiâ præditos supponant.

XX. *Vosmetipfos tentate, si estis in Fide.* Non sufficiat vobis hoc in negotio obiter in animum vestrum introspexisse, *Tentate, & probate.* Res prosperæ vobis serviant, ut vos *Tentare*, adversæ verò ut *probare* vos possitis; ut quavis, in tempestate Deo perinde Fideles radici Fidei firmæ, profundæ, fecundæ, inferere firmiter possitis arborem vitæ nunquam destituta.